DE METRORRHAGIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Matteo Baccilieri

DE
METRORRHAGIA
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM CONSEQUENDAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE HABUIT

MATTHAEUS BACCILIERI

VERONENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXX





Fluxus sanguinis ex vagina immodicus, et praeternaturalis *metrorrhagiae*, *menorrhagiae*, vel *haemorrhagiae uterinae* nomine designatur. Quum autem variis in foeminarum adjunctis locum habere queat, in plures species divisa est: hinc metrorrhagia menstrua, gravidarum, puerperarum, vetularum dicta. Nos vero, caeteris missis, solum nunc eam considerabimus, quae menstrua appellatur.

Quoties menstrua, apto licet tempore, nimia quantitate erumpunt, vel frequentius effluunt, vel diutius perdurant, metrorrhagiam menstruam dicunt. Quae quidem sanguinis

jactura modo cum impetu fit, ac parum perdurat: alias autem exigua est, ac diuturna, et ubi cessaverit levi de causa revertitur. Priori in casu vocatur *accidentalis*, vel *acuta*, in altero *habitualis*, seu *chronica.* Illud interea monere expedierit, non omnem catameniorum irregularitatem haberi merito posse veluti metrorrhagiam: etenim foeminae sunt, quae frequentius catameniis funguntur, quin tamen inde sanitas laedatur. Despiciendum itaque, utrum fluxus sanguinis functiones perturbet, adeoque morbosus existimari queat.

Metrorrhagiam praecedunt universalis lassitudo, totius corporis gravedo, capitis dolor, vertigines, lumborum pondus, dolores dorsi, ac ventris, spiritus difficilis, cordis palpitatio, anxietas, horripilationes, cum calore alternantes, os siccum, sitis, pulsus subdurus ac frequens, aliquando nausea, et vomitus, animus morosus, sanguis qui effluit, nunc floridus est, nunc in grumos coactus. Accedunt nausea, anorexia, vomituritio, vomitus, gastrodynia, cardialgia, capitis dolor exaxperatur, dolent et artus. Ubi gravior est sanguinis jactura vires collabuntur; pulsus fiunt contracti celeres; obrepunt lipothymiae, extrema frigent, sudores frigidi erumpunt. Demum si affectio per longiores moras invaluerit, cachecticus fit cor-

poris habitus: oculi cavi evadunt: aedema pedes, ac crura occupat, anasarca excitatur, ad concubitum, et generationem impotentia nascitur.

Non est difficile metrorrhagiam activam a passiva distinguere. Ut autem aequum judicium feramus, cum proegressa, tam praesentia sedulo attendendum. Si causae incitantes praegressae fuerint, et satis valida sit foeminae constitutio, neque diu adhuc perduraverit sanguinis fluxus, metrorrhagia erit activa. E converso universalis debilitas, ac laxitas, caussae debilitantes praegressae, ac fluxus diuturnitas monent esse passivam. Illud est addendum scilicet metrorrhagiam passivam non ea omnia prodere symptomata, quae superius memoravimus; sed in ea observari pulsum debilem, universalem atoniam, et cachecticum corporis habitum.

Caussae quae metrorrhagiam producere valent multiplices sunt. Praecipuae vero censentur sequentes: 1. caussae omnes quae plethorae universali favent; huc attinent enchyma, aromatum, et liquorum spirituosorum abusus: vita deses: longus somnus: consuetae alicujus evacuationis suppressio, 2. Caussae quae sanguinem ad generationis partes alliciunt, quo attinent, ictus, lapsus, chorreae protractae, e-

quitatio, arctiores vestes, emesis violenta, sternutatio frequens, cachinnus immodicus, pediluvia tepida. 3. Potentiae morbosae quae vel directe, vel sympatice uterum lacessunt. Directis accensenda veneris abusus, vel intensum ejus desiderium: pessaria irritantia: cathartica acriora: emenagoga iterata: clysmata acria: tenesmus. Ad caussas vero quae sympatico modo agunt gastricae saburrae praesertim sunt referendae. 4. Caussae quae nimiam in vasis uterinis distensionem inducere queunt, uti partus numerosi, vel difficiles, et abortus. 5. quae laxitatem procreant, et uteri atoniam adducunt, metrorrhagiae passivae viam sternunt. 6. demum schirrus ulcus malignum, carcinoma, aut alia hujusmodi localis irritatio.

Prognosis varia est, prout differt sanguinis effluentis quantitas, prout jactura est celerior, aut lentior. Quo brevioribus intervallis revertitur haemorrhagia, tanto ominosior. Inniores ac vetulae plus noxiae perferunt, quam quae mediam aetatem emetiuntur: foeminae quae exhibent cutem mollem, et laxam, venas magnas, conspicuas, caeruleas, pulsum plenum, ac frequentem, capillos rufos, aut flavos, et sanguineo temperamento donantur, minus a menorrhagia patiuntur. Contra quae sunt obesae, debiles, et vultu pallido, aegrius haemorrha-

giam uteri ferunt, majoremque inde noxam experiuntur. Si umor mucosus, saniosus, ac foetidus ex vagina effluat, si instituta exploratione uterus durior, profundior deprehendatur; si os uteri sit inaequale, subcallosum; schirrum, carcinoma, vel ulcus malignum adesse dejudica: quo in casu morbus vix aliquam sanationis spem linquit. Animi deliquium fugax non maxime metuendum: contra si illud diu perduret, nec remediis erigatur, si simul extrema frigescant, et membra convellantur: hinc medicinae Parens scriptum reliquit: *si fluxui muliebri convulsio, et animi deliquium superveniat, malum.*

Metrorrhagiam varia ratione curanda pro varia caussarum indole, et ipsius fluxus natura. In primis animi et corporis quies imperanda, vestes statim solvendae, ne externa vasa comprimantur. Aegrotans horizzontaliter decumbat supina: atmosphera sit subfrigida: stragula non sint nimia: victus sit tenuis, ac potiones subacidae et refrigerantes. Alvus clysmatibus emollientibus aperta servetur: a rebus venereis penitus abstineatur. Tradita in omni metrorrhagiae casu conveniunt. Alia vero praesidia varia sunt, prout varium est affectionis ingenium. Diligenter itaque attendendum utrum fluxus sit activus, an contra

passivus. Si Metrorrhagia virginem viro maturam, aut robustam foeminam adoriatur, et stimulantes caussae praecesserint, si pulsus sit durus, validus, frequens, et caetera plethoricae conditionis indicia, ad methodum antiphlogisticam confugiendum.

Quamobrem phlebotomia ex brachio statim est instituenda, et pro re nata iteranda. Potus sit frigidus, subacidus: nitras potassae, tartras potasae acidulus plurimum emolumenti pollicentur: victus sit tenuis, atque refrigerans. Digitalem purpuream maximis extollunt laudibus, qui ipsam in *contrastimulantium* (ita vocant) remediorum censu reponunt. Verum cum de his adhuc sub judice lis versetur, numquam certo erit, cur a caeteris propositis, et tum ratione indicatis, tum experientia confirmatis auxilii recedamus.

Chronicus sanguinis ex utero fluxus omnino contraria praesidia expostulat, quibus curetur. Ibi in usum vocanda sunt antispasmodica, roborantia, adstringentia. Moschus, aether sulphuricus, liquor anodinus mineralis Hoffmanni, castoreum huc referuntur, oppiatis non oblegatis, tunc praesertim summopere utilibus, quando convulsiones, vigiliae, aliaeve subortae a nimia mobilitate, ac sensibilitate turbae sunt compescendae.

Tonicis et adstringentibus pro re nata in metrorrhagia fidenter usurpandis, accensendus cortex peruvianus, cortices quercus, cascarillae, simarubae, salicis cùm in substantia, tum et in decocto. Cortex cinnamomi, et acidum sulphuricum passim adhibita quoque utiliter fuere. Sunt qui proponunt, nec immerito, ipecacuanham per epicrasim assumptam: additio oppii virtutem adauget: hinc pulvis *Dowerii* summopere celebratus. Superius adnotavimus a gastrica saburra metrorrhagiam foveri; quo in casu juvant emetica, et purgantia.

Cum efficacem in extremis haemorrhagiis adstringentium virtutem adnotassent medici iisdem, et usi sunt ad haemorrhagias compescendas, quae ab internis causis promanant. Illinc laudantur sulphas martis, sulphas alluminae cum potassa, aqua styptica, terra japonica, sanguis draconis, et ipsumet decoctum corticis aurantiorum. Aquas minerales ferrugineas, praeparata martialia feliciter quoque usurpata accepimus.

Quum sanguinis fluxus internis auxiliis satis prompte compesci non potest, non sunt negligenda remedia externa, quibus saltem cruoris jacturam moderemur. Cataplasma ex synapi aut emplastrum compositum ex duabus emplastri galbani partibus, et una cerati epispa-

stici abdomini applicitum miras utilitates attulit, quod testatur *Weikard*. Linimentum volatile *Boerrhawii*, vel oppiato gastricum, camphora in aethere soluta, tinctura cantharidum, oleum aethereum nucis muschatae, fausto cum successu abdomini illiniuntur, aqua simul frigida, et ipsa glacies contusa per intervalla utiliter apponitur.

Sub maximo sanguinis fluxu juvat quoque aquam frigidam, vel solam, vel cum aceto, sulphate ferri, sulphate alluminae cum potassa, sulphate Zinci in vaginam injicere: Linteum contortum (pessarium) aceto, aut adstringentibus aliis imbutum in vaginam intrudere. Artuum ligaturae olim maximae laudatae, ad sistendas haemorrhagias, quae nostra aetate penitus obsolevere.

Supervacaneum ducimus animadvertere criticam quandoque se sistere metrorrhagiam, quo in casu nonnisi cum gravi detrimento remedia ad ipsam coercendam praescriberentur. Quum a schirro, carcinomate, ulcere aliave locali affetione fovetur metrorrhagia, praeter superius proposita, illa quoque expostulat auxilia, quae a cujuscumque affectionis ingenio indicantur.

Demum metrorrhagiam passae, tum eo vel magis quae in ipsam frequentius proclives

sunt, in apto regimine, et sedula occasionalium causarum fuga prophilaxim praesertim auspicari debent.